



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Directorivm Ecclesiasticae Disciplinae, Coloniensi
praesertim Ecclesiae accommodatum**

Frangipani, Ottavio Mirto

Coloniae Agrippinae, 1597

VD16 F 2269

Reverendissimi In Christo Patris Ac Domini, D.Octavii Frangipani Mirthi,
Primvm Calatini Ac Deinde Tricariensis Episcopi [...]

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62032](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62032)

REVERENDISSIMI IN CHRISTO PATRIS AC

DOMINI, D. OCTAVII FRANGIPANI

MIRTHI, PRIMVM CALATINI AC DEINDE TRICARICENSIS Episcopi, Apostolicæ Sedis Nuntij, Constitutio de Sacramentorum administratione, præcipuè autem de Matrimonij clandestinis, Baptismo, & Patrinis; quæ cum suo loco, vbi eius facta fuit mentio, per obliuionem non fuerit inserta, ad satisfaciendum studioso lectori hic posita est.

Pag. 439.
450. & 525

OCTAVIVS DEI ET APO-

STOLICAE SEDIS GRATIA EPISCOPVS CA-

LATINVS, S. D. N. GREGORII DIVINA PROVIDEN-

tia Papa XIII. eiusdemque S. Sedis in tractu Rhenano & Belgarum pro-

uincij Nuncius cum potestate Legati de latere, Vniuersis & singulis, Deca-

nis, Parochialium Ecclesiarum Rectoribus Plebanis, & Viceplebanis, Curatis

& non curatis per ciuitatem & Diocesim Colonensem vbilibet consti-

tutis salutem in Domino & nostris imo Apostolicis in hu-

iusmodi firmiter obedire mandatis.



Viaparum esset nos Diocesanam Synodum Colonensem annis aliquot intermissam in usum reuocasse, atque aliquatenus ad pristinum reduxisse vigorem, nisi etiam debitam illius decretorum executionem curaremus: Ideo cum inter alia in vltima synodo decreta promulgata, illud vrgentibus nobis, ad reparandam Ecclesiasticam disciplinam multis modis labefactatam, etiam publicatum fuerit; vt omnes in animarum cura & ministerio constituti sedulo & accurate incumbant in diuinorum sacramentorum dispensatione, iuxta legitimas Ecclesiae sanctiones: & modo dolentes audiamus, non esse post synodaliu decretorum publicationem, ipsumque conuentum legitimè absolutum pastoribus iniunctum, vt illud susciperent, susceptumque

Publicata
fuit hæc con-
stitutio in ci-
uitate Colo-
nensi Do-
minica V. I.
post Trinit.
quæ fuit 21.
Iulij. Anno
1594.

CONSTITVTIO DE

ceptumque singuli in suis parochijs publicarent, publicatumque seruarent; vnde non sine magna Christi fidelium iactura animarum dispendio, & multorum errorum implicatione, præsertim eorum, qui ex clandestinis coniugijs emanare solent, irritum omne studium nostrum deprehendamus: hisce nostris litteris vobis omnibus & singulis auctoritate nostra Apostolica præcipimus, & mandamus in virtutæ sanctæ obedientiæ, & sub excommunicationis latæ sententiæ pœna, vt in omnib. sacramentis, per vos vti curatos ministrandis, nimirum Baptismo, Pœnitentia, Eucharistia, Extrema vnctione, & præsertim Matrimonio, ritè rectèque iuxta sacrorum canonum præscriptum, decreta & statuta conciliorum ac synodorum huius Coloniensis diœcesis, munus pastorale exequamini, ac proinde mox hisce litteris visis, primo die festo in parochijs singuli subdito sibi populo Concilij Tridentini decretum sub sess. 24. tit. de refor. matrim. cap. 1. semel atq; iterum ac sæpius, quemadmodum expedire vid eritis, publicetis & explicetis &. Atque vt illud tam salubre præceptum, protinus optatum consequatur effectum, ad grauissima incommoda in posterum depellenda, omnesque omnino iudices liget, post tempus ab eodem sacrosancto concilio præfixum trigesimo nimirum die à prima publicatione in singulis parochijs facta, intelligant ea omnia matrimonia, præter formam illius decreti contracta, post præfatum temporis lapsum irrita & nulla in eorum sententijs decernenda, quemadmodum in illa constitutione Concilium Tridentinum irritat & annullat, cuius tenor est talis:

Tametsi dubitandum non est, clandestina Matrimonia, libero contrahentium consensu facta, rata & vera esse Matrimonia, quandiu Ecclesia ea irrita non fecit; & proinde iure damnandi sit illi, vt eos sancta Synodus anathemate damnat, qui ea vera ac rata esse negant, quique falso affirmant, matrimonia à filijs familias sine
consensu

SACRAMENTORVM ADMINISTRAT.

consensu parentum contracta, irrita esse, & parentes ea ratavel irrita facere posse: nihilominus sancta Dei Ecclesia ex iustissimis caussis illa semper detestata est, atque prohibuit. Verum cum sancta synodus animaduertat probationes illas, propter hominum inobedientiam iam non prodesse, & grauia peccata perpendat, quæ ex eisdem clandestinis coniugijs ortum habent; præsertim verò eorum, qui in statu damnationis permanent, dum, priore vxore, cum qua clam contraxerant relicta, cum alia palam contrahunt, & cum ea in perpetuo adulterio viuunt; cui malo cum ab Ecclesia, quæ de occultis non iudicat, succurri non possit, nisi efficacius aliquod remedium adhibeatur: iccirco sacri Lateranensis Concilij sub Innocentio III. celebrati, vestigijs inhærendo præcipit, vt in posterum, antequam matrimonium contrahatur, ter à proprio contrahentium Parocho tribus continuis diebus festiuis in Ecclesia inter Missarum sollemnia publicè denunciatur, inter quos matrimonium sit contrahendum: quibus denunciationibus factis si nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem matrimonij in facie Ecclesiæ procedatur; vbi parochus, viro & muliere interrogatis, & eorum mutuo consensu intellecto, vel dicat: Ego vos in matrimonium coniungo in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti: vel alijs vtatur verbis, iuxta receptum vniuscuiusque prouinciæ ritum. Quod si aliquando probabilis fuerit suscipio Matrimonium impediri posse, si tot præcesserint denunciationes, tunc vel vna tantum denunciatio fiat, vel saltem Parocho, & duobus vel tribus testibus præsentibus matrimonium celebretur. Deinde ante illius consummationem, denunciationes in Ecclesia fiant; vt si aliqua subsint impedimenta, facilius detegantur: nisi Ordinarius ipse expedire iudicauerit, vt prædictæ denunciationes remittantur: quod illius prudentiæ, & iudicio sancta synodus relinquit. Qui aliter quam

Kkkk præsentente

CONSTITVTIO

præsente Parocho, vel alio sacerdote, de ipsius parochi, seu Ordinarij licentia, & duobus vel tribus testibus Matrimonium contrahere attentabunt; eos sancta synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit: & huiusmodi contractus irritos & nullos esse decernit, prout eos præsenti, decreto irritos facit & annullat. Insuper Parochum vel alium Sacerdotem qui cum minore testium numero, & testes qui sine Parocho vel sacerdote huiusmodi contractui interfuerint, nec non ipsos cōtrahentes grauitar arbitrio Ordinarij puniri præcipit. Præterea eadē sancta Synodus hortatur vt coniuges ante benedictionem sacerdotalem, in templo suscipiendā, in eadem domo non cohabitent; statuitque benedictionem à proprio Parocho fieri; neque à quoquam nisi ab ipso Parocho vel ab Ordinario licentiam ad prædictam benedictionem faciendam, alij sacerdoti concedi posse; quacunque consuetudine, etiam immemorabili, quæ potius corruptela dicenda est, vel priuilegio non obstante. Quod si quis Parochus vel alius sacerdos, siue regularis siue sæcularis sit; etiam si id sibi ex priuilegio, vel immemorabili consuetudine, licere contendat, aliterius Parochiæ sponso sine illorum Parochi licentia matrimonio coniungere aut benedicere ausus fuerit: ipso iure tamdiu suspensus maneat, quamdiu ab Ordinario eius Parochi, qui matrimonio interessē debebat, seu à quo benedictio suscipienda erat, absoluat. Habeat Parochus librum, in quo coniugum & testium nomina, diemque & locum contracti matrimonij describat, quem diligenter apud se custodiat. Postremò sancta Synodus coniuges hortatur, vt antequam contrahant, vel saltem triduo ante Matrimonij consummationem sua peccata diligenter confiteantur, & ad sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum piè accedant. Si quæ prouinciæ alijs, vltra prædictas laudabilibus consuetudinibus, & ceremonijs hac in re vtuntur,
cas omni

SACRAMENTORVM ADMINISTRAT.

eas omnino retineri sancta Synodus vehementer optat. Ne verò hæc tam salubria præcepta quemquam lateant Ordinarijs omnibus præcipit, vt cum primum poterint, curent hoc decretum populo publicari, ac explicari in singulis suarum diocesium parochialibus Ecclesijs; idque in primo anno quam sapissimè fiat, deinde quoties expedire viderint. Decernit insuper, vt huiusmodi decretum in vnaquaque Parochia suum robur post triginta dies habere, incipiat, à die primæ publicationis in eadem parochiæ factæ, numerandos.

Præterea cum inter impedimenta matrimonij latissimè pateant cognationis spiritualis, consanguinitatis & affinitatis, ac denique publicæ honestatis iusticiæ; volumus, vt c. 2. 3. & 4. Trid. sess. sub eodem titulo de reformatione Matr. in parochijs vobis concreditæ summa prouidentia custodiatis & obseruetis, eorumq; vim & vsum populo publicetis & explicetis, ne ob ignorantiam negligentiamue talia dissimulentur, vel contemnantur; cum citra peccatum, scandalum, periculumque quotidianum dissimulari & contemni nequeant. Insuper cum nobis innotuerit vestros animos nonnumquam sollicitari ad dandū baptismi Sacramētum extra fontes Ecclesiarum in domibus priuatis, nulla causa necessitatis urgente; vobis omnibus sub pœna suspensionis interdiciamus, & vetamus omnino, ne aliquis absque necessitate extra fontes deputatos in ædibus baptizetur; cum in Ecclesiæ conspectu, maiori cultu ornataque, salutare hoc regenerationis Sacramentum ministraretur, & sanctorum patrum decreta statuerint ministrandum. Denique vos omnes hortamur & obtestamur in Domino, vt in vestri populi fidem & mores sollicitè ac piè inquiratis, omnesque ad veram pietatem iustitiamque excolendam pro Dei gloria, ac pro vestra populique salute, quæ publicè, publicitus corrigatis priuatè priuatim; quæ publicè, publicitus corrigatis

CONSTITVTIO

& emendetis, omnem impiam turpem inhonestamque consuetudinem, omnemque abusum abigatis & in melius reformetis. Porro vt ad omnium notitiam hoc nostrum decretum perueniat, nec in posterum aliquis ignorantia prætextus quouis quæsito colore allegari possit: Omnibus Pastoribus intra Ciuitatem Coloniensem sub pœnis suprâ memoratis præcipimus ac mandamus vt Dominica 7. quæ est 21. mensis præsentis publicè pro concione, hanc nostram sanctionem seu edictum, populo sollemniter promulgent, ac valis singularû parochiarum publicè affigant, & per triginta dies affixum conseruent. Extra verò Coloniam Decanis ruralibus iniungimus ac seuerè præscribimus, vt eodem modo harum literarum constitutionem primo die festo post factam intimationem exequantur, ac rudi populo non summarie aut perfunctorie, sed disertè atque dilucidè effectum earum explicent, & in praxim deducant, memores ministerij ac sortis suæ, in quam à Christo Domino, tanquam Rectores vocati sunt, ad gregem suum erudiendum, salutarique doctrina pascendum. Datum

Colonix Die 11, Mensis Iulij anno 1591.

Pontificatus S. D. N. D. Gregorij

diuina prouidentia PP.

XIII. Anno 1.

*Nugipes Antistes non curat Clerus ubi stes
Si non in talis stes ubi uinq; uelis
Sod. tis Gess Paderb.*

ERRATA

M. A. Epib.